

1. T. Lucretii Cari De Rerum Natura liber V, 925-1083
2. C. Iulii Caesaris De Bello Gallico Commentarius IV, I-IV
3. M. Tullii Ciceronis Oratio in L. Catilinam tertia Habita ad populum, 1-12
4. C. Sallustii Crispi Catilinae Conivratios, XL
5. Titi Livii Patavini Ab Vrbe condita liber XXIV, 37-38
6. S. Aurelii Propertii Carminvm liber IV, 6
7. P. Vergilii Maronis Aeneidos liber VIII, 647-732
8. P. Vergilii Maronis Georgicon liber I, 122-160
9. T. Petronii Arbitri Satiricon liber , LXI
10. C. Cornelii Taciti Germania sive de origine et situ Germanorum, 4-7;
45-46
11. L. Apuleii Metamorphoseon liber V, 22-23
12. Historia Apollonii regis Tyri, I
13. Aeneae Silvii [Piccolomini] Senensis Historia de dvobvs amantibvs
14. Erasmi Roterodami Epistvlae epist. 288, all' Abate Antonio di Bergen.
15. Erasmi Roterodami Colloquia Diversoria [1523]
16. Francisci Creuxii (François du Creux SJ) Historiae Canadensis sev
Novae Franciae libri x [pp. 534-537]
17. Joannis Petri Maffei SJ De Rebvs Japonicis Epistvlarvm Libri V
[Coloniae 1574, pp. 447 ss.]
18. Joannis Petri Maffei SJ De Rebvs Japonicis Epistvlarvm Libri V
19. Martini Dobrizhoffer SJ Historia de abiponibvs Liber I [pp. 304-305]
20. Martini Dobrizhoffer SJ Historia de abiponibvs Liber II [pp. 74-75]

T. Lucretii Cari
DE RERUM NATURA
liber V

925

Et genus humanum multo fuit illud in arvis
durius, ut decuit, tellus quod dura creasset,
et maioribus et solidis magis ossibus intus
fundatum, validis aptum per viscera nervis,
nec facile ex aestu nec frigore quod caperetur

930

nec novitate cibi nec labi corporis ulla.
multaque per caelum solis volventia lustra
volgivago vitam tractabant more ferarum.
nec robustus erat curvi moderator aratri
quisquam, nec scibat ferro molirier arva

935

nec nova defodere in terram virgulta neque altis
arboribus veteres decidere falcibus ramos.
quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat
sponte sua, satis id placabat pectora donum.
glandiferas inter curabant corpora quercus

940

plerumque; et quae nunc hiberno tempore cernis
arbita puniceo fieri matura colore,
plurima tum tellus etiam maiora ferebat.
multaque praeterea novitas tum florida mundi
pabula dura tulit, miseris mortalibus ampla.

945

at sedare sitim fluvii fontesque vocabant,
ut nunc montibus e magnis decursus aquai
claricitat late sitientia saecula ferarum.
denique nota vagis silvestria templa tenebant
nympharum, quibus e scibant umore fluenta

950

lubrica proluvie larga lavere umida saxa,
 umida saxa, super viridi stillantia musco,
 et partim plano scatere atque erumpere campo.
 necdum res igni scibant tractare neque uti
 955 pellibus et spoliis corpus vestire ferarum,

 sed nemora atque cavos montis silvasque colebant
 et frutices inter condebant squalida membra
 verbera ventorum vitare imbrisque coacti.
 nec commune bonum poterant spectare neque ullis
 960 moribus inter se scibant nec legibus uti.

 quod cuique obtulerat praedae fortuna, ferebat
 sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
 et Venus in silvis iungebat corpora amantum;
 conciliabat enim vel mutua quamque cupido
 965 vel violenta viri vis atque inpena libido

 vel pretium, glandes atque arbita vel pira lecta.
 et manuum mira freti virtute pedumque
 967
 975 consecabantur silvestria saecula ferarum
 968 missilibus saxis et magno pondere clavae.

 multaque vincebant, vitabant pauca latebris;
 saetigerisque pares subus silvestria membra
 970
 nuda dabant terrae nocturno tempore capti,
 circum se foliis ac frondibus involventes.
 nec plangore diem magno solemque per agros
 quaerebant pavidi palantes noctis in umbris,
 974
 sed taciti respectabant somnoque sepulti,
 976
 dum rosea face sol inferret lumina caelo.
 a parvis quod enim consuerant cernere semper
 alterno tenebras et lucem tempore gigni,
 non erat ut fieri posset mirarier umquam
 980
 nec diffidere, ne terras aeterna teneret
 nox in perpetuum detracto lumine solis.
 sed magis illud erat curae, quod saecula ferarum
 infestam miseris faciebant saepe quietem.

985 eiectique domo fugiebant saxea tecta
 spumigeri suis adventu validique leonis
 atque intempesta cedebant nocte paventes
 hospitibus saevis instrata cubilia fronde.
 Nec nimio tum plus quam nunc mortalia saecula
 dulcia linquebant lamentis lumina vitae.
 990
 unus enim tum quisque magis deprensus eorum
 pabula viva feris praebebat, dentibus haustus,
 et nemora ac montis gemitu silvasque replebat
 viva videns vivo sepeliri viscera busto.
 995 at quos effugium servarat corpore adeso,
 posterius tremulas super ulcera tetra tenentes
 palmas horriferis accibant vocibus Orcum,
 donique eos vita privarant vermina saeva
 expertis opis, ignaros quid volnera vellent.
 1000 at non multa virum sub signis milia ducta
 una dies dabat exitio nec turbida ponti
 aequora lidebant navis ad saxa virosque.
 nam temere in cassum frustra mare saepe coortum
 saevibat leviterque minas ponebat inanis,
 1005 nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
 subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.
 improba navigii ratio tum caeca iacebat.
 tum penuria deinde cibi languentia leto
 membra dabat, contra nunc rerum copia mersat.
 1010 illi imprudentes ipsi sibi saepe venenum
 vergebant, nunc dant <aliis> sollertius ipsi.
 Inde casas postquam ac pellis ignemque pararunt
 et mulier coniuncta viro concessit in unum

 cognita sunt, prolemque ex se videre creatam,
 1015 tum genus humanum primum mollescere coepit.

ignis enim curavit, ut alsia corpora frigus
 non ita iam possent caeli sub tegmine ferre,
 et Venus inminuit viris puerique parentum
 blanditiis facile ingenium fregere superbum.
 tunc et amicitiam coeperunt iungere aventes
 1020
 finitimi inter se nec laedere nec violari,
 et pueros commendarunt muliebrique saeculum,
 vocibus et gestu cum balbe significarent
 imbecillorum esse aequum misererier omnis.
 nec tamen omnimodis poterat concordia gigni,
 1025
 sed bona magnaue pars servabat foedera caste;
 aut genus humanum iam tum foret omne peremptum
 nec potuisset adhuc perducere saecula propago.

 At varios linguae sonitus natura subegit
 mittere et utilitas expressit nomina rerum,
 1030
 non alia longe ratione atque ipsa videtur
 protrahere ad gestum pueros infantia linguae,
 cum facit ut digito quae sint praesentia monstrent.
 sentit enim vim quisque suam quod possit abuti.
 cornua nata prius vitulo quam frontibus extant,
 1035
 illis iratus petit atque infestus inurget.
 at catuli pantherarum scymnique leonum
 unguibus ac pedibus iam tum morsuque repugnant,
 vix etiam cum sunt dentes unguisque creati.
 alituum porro genus alis omne videmus
 1040
 fidere et a pennis tremulum petere auxiliatum.
 proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
 rebus et inde homines didicisse vocabula prima,
 desiperest. nam cur hic posset cuncta notare
 vocibus et varios sonitus emittere linguae,
 1045
 tempore eodem alii facere id non quisse putentur?
 praeterea si non alii quoque vocibus usi
 inter se fuerant, unde insita notities est
 utilitatis et unde data est huic prima potestas,
 quid vellet facere ut sciret animoque videret?
 1050
 cogere item pluris unus victosque domare

non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent.
 nec ratione docere ulla suadereque surdis,
 quid sit opus facto, facilest; neque enim paterentur
 nec ratione ulla sibi ferrent amplius auris
 1055
 vocis inauditos sonitus obtundere frustra.
 postremo quid in hac mirabile tantoperest re,
 si genus humanum, cui vox et lingua vigeret,
 pro vario sensu varia res voce notaret?
 cum pecudes mutae, cum denique saecula ferarum
 1060
 dissimilis soleant voces variasque ciere,
 cum metus aut dolor est et cum iam gaudia gliscunt.
 quippe <et>enim licet id rebus cognoscere apertis.
 inritata canum cum primum magna Molossum
 mollia ricta fremunt duros nudantia dentes,
 1065
 longe alio sonitu rabies <re>stricta minatur,
 et cum iam latrant et vocibus omnia complent;
 at catulos blande cum lingua lambere temptant
 aut ubi eos lactant, pedibus morsuque potentes
 suspensis teneros imitantur dentibus haustus,
 1070
 longe alio pacto gannitu vocis adulant,
 et cum deserti baubantur in aedibus, aut cum
 plorantis fugiunt summisso corpore plagas.
 denique non hinnitus item differre videtur,
 inter equas ubi equus florenti aetate iuencus
 1075
 pinnigeri saevit calcaribus ictus Amoris
 et fremitum patulis sub naribus edit ad arma,
 et cum sic alias concussis artibus hinnit?
 postremo genus alituum variaequae volucres,
 accipitres atque ossifragae mergique marinis
 1080
 fluctibus in salso victum vitamque petentes,
 longe alias alio iaciunt in tempore voces,
 et quom de victu certant praedaeque repugnant.

C. Iulii Caesaris DE BELLO GALLICO Commentarius IV

I (1) Ea quae secuta est hieme, qui fuit annus Cn. Pompeio M. Crasso consulibus, Usipetes Germani, item Tenctheri magna cum multitudine hominum flumen Rhenum transierunt non longe a mari quo Rhenus influit. (2) causa transeundi fuit, quod ab Suebis complures annos exagitati bello premebantur et agri cultura prohibebantur. (3) Sueborum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium. (4) hi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula milia armatorum bellandi causa suis ex finibus educunt. (5) reliqui, qui domi manserunt, se atque illos alunt. hi rursus invicem anno post in armis sunt, illi domi remanent. (6) sic neque agri cultura nec ratio atque usus belli intermittitur. (7) sed privati ac separati agri apud eos nihil est, neque longius anno remanere uno in loco colendi causa licet. (8) neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt multumque sunt in venationibus. (9) quae res et cibi genere et cotidiana exercitatione et libertate vitae, quod a pueris nullo officio aut disciplina adsuefacti nihil omnino contra voluntatem faciunt, et vires alit et immani corporum magnitudine homines efficit. (10) atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus praeter pelles habeant quicquam, quarum propter exiguitatem magna est corporis pars aperta, et laventur in fluminibus.

II (1) Mercatoribus est aditus magis eo, ut quae bello ceperint, quibus vendant habeant, quam quo ullam rem ad se importari desiderent. (2) quin etiam iumentis, quibus maxime Galli delectantur quaeque impenso parant pretio, Germani importatis non utuntur, sed quae sunt apud eos nata, parva atque deformia, haec cotidiana exercitatione summi ut sint laboris efficiunt. (3) equestribus proeliis saepe ex equis desiliunt ac pedibus proeliantur, equosque eodem remanere vestigio adsuefaciunt, ad quos se celeriter cum usus est recipiunt. (4) neque eorum moribus turpius quicquam aut inertius habetur quam ephippiis uti. (5) itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis pauci adire audent. (6) vinum ad se omnino importari non patiuntur, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur.

III (1) Publice maximam putant esse laudem quam latissime a suis finibus vacare agros. hac re significari magnum numerum civitatum suam vim sustinere non potuisse. (2) itaque una ex parte ab Suebis circiter milia passuum sescenta agri vacare dicuntur. (3) ad alteram partem succedunt Ubii, quorum fuit civitas ampla atque florens, ut est captus Germanorum. et paulo quam eiusdem generis ceteri sunt humaniores, propterea quod Rhenum attingunt multumque ad eos mercatores ventitant et quod ipsi propter propinquitatem Gallicis sunt moribus adsuefacti. (4) hos cum Suebi multis saepe bellis experti propter amplitudinem gravitatemque civitatis finibus expellere non potuissent, tamen vectigales sibi fecerunt ac multo humiliores infirmioresque redegerunt.

IV (1) In eadem causa fuerunt Usipetes et Tenctheri quos supra diximus. qui complures annos Sueborum vim sustinuerunt, ad extremum tamen agris expulsi et multis locis Germaniae triennium vagati ad Rhenum pervenerunt, quas regiones Menapii incolebant. (2) hi ad utramque ripam fluminis agros aedificia vicosque habebant. (3) sed tantae multitudinis adventu perterriti ex iis aedificiis, quae trans flumen habuerant, demigraverunt et cis Rhenum dispositis praesidiis Germanos transire prohibebant. (4) illi omnia experti cum neque vi contendere propter inopiam navium neque clam transire propter custodias Menapiorum possent, reverti se in suas sedes regionesque simulaverunt (5) et tridui viam progressi rursus reverterunt atque omni hoc itinere una nocte equitatu confecto inscios inopinantesque Menapios oppresserunt, (6) qui de Germanorum discessu per exploratores certiores facti sine metu trans Rhenum in suos vicos remigraverant. (7) his interfectis navibusque eorum occupatis, priusquam ea pars Menapiorum quae citra Rhenum erat certior fieret, flumen transierunt atque omnibus eorum aedificiis occupatis reliquam partem hiemis se eorum copiis aluerunt.

M. Tullii Ciceronis

ORATIO IN L. CATILINAM TERTIA

Habita ad populum

[1] Rem publicam, Quirites, vitamque omnium vestrum bona, fortunas, coniuges liberosque vestros atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, hodierno die deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consiliis, periculis meis e flamma atque ferro ac paene ex faucibus fati ereptam et vobis conservatam ac restitutam videtis.[2] Et si non minus nobis iucundi atque inlustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur, quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta condicio, et quod sine sensu nascimur, cum voluptate servamur, profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad deos immortalis benivolentia famaue sustulimus, esse apud vos posterosque vestros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque servavit. Nam toti urbi, templis, delubris, tectis ac moenibus subiectos prope iam ignis circumdatosque restinximus, idemque gladios in rem publicam dstrictos rettudimus mucronesque eorum a iugulis vestris deiecimus. [3] Quae quoniam in senatu inlustrata, patefacta, comperta sunt per me, vobis iam exponam breviter, Quirites, ut, et quanta et quam manifesta et qua ratione investigata et comprehensa sint, vos, qui et ignoratis et expectatis, scire possitis. Principio ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe, cum sceleris sui socios huiusce nefarii belli acerrimos duces Romae reliquisset, semper vigilavi et providi, Quirites, quem ad modum in tantis et tam absconditis insidiis salvi esse possemus. Nam tum, cum ex urbe Catilinam eiciebam (non enim iam vereor huius verbi invidiam, cum illa magis sit tiunenda, quod vivus exierit), sed tum, cum illum exterminari volebam, aut reliquam coniuratorum manum simul exituram aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam.[4] Atque ego ut vidi, quos maximo furore et scelere esse infiammatos sciebam, eos nobiscum esse et Romae remansisse, in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut, quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem, ut, quoniam auribus vestris propter incredibilem magnitudinem sceleris minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, ut tum demum animis saluti vestrae provideretis, cum oculis maleficio ipsum videretis. Itaque, ut comperi legatos Allobrogum belli Transalpini et tumultus Gallici excitandi causa a P. Lentulo esse sollicitatos, eosque in Galliam ad suos civis eodemque itinere cum litteris mandatisque ad Catilinam esse missos, comitemque iis adiunctum esse T. Volturcium, atque huic esse ad Catilinam datas litteras, facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam ab dis immortalibus, ut tota res non solum a me, sed etiam a

senatu et a vobis manifesto deprehenderetur. [5] Itaque hesterno die L. Flaccum et C. Pomptinum praetores, fortissimos atque amantissimos rei publicae viros, ad me vocavi, rem eui, quid fieri placeret, ostendi. Illi autem, qui omnia de re publica praeclara atque egregia sentirent, sine recusatione ac sine ulla mora negotium susceperunt et, cum advesperasceret, occulte ad pontem Mulvium pervenerunt atque ibi in proximis villis ita bipertito fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset. Eodem autem et ipsi sine cuiusquam suspicione multos fortis viros eduxerant, et ego ex praefectura Reatina complures delectos adulescentes, quorum opera utor adsidue in rei publicae praesidio, cum gladiis miseram. Interim tertia fere vigilia exacta cum iam pontem Mulvium magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent unaque Volturcius, fit in eos impetus; educuntur et ab illis gladii et a nostris. Res praetoribus erat nota solis, ignorabatur a ceteris. Tum interventu Pomptini atque Flacci pugna, quae erat commissa, sedatur. Litterae, quaecumque erant in eo comitatu, integris signis praetoribus traduntur ipsi comprehensi ad me, cum iam dilucesceret, deducuntur. Atque horum omnium scelerum inprobissimum machinatorem, Cimbrum Gabinium, statim ad me nihildum suspicantem vocavi; deinde item accersitus est L. Statilius et post eum C. Cethegus; tardissime autem Lentulus venit, credo quod in litteris dandis praeter consuetudinem proxima nocte vigilarat. [6] Cum summis et clarissimis huius civitatis viris, qui audita re frequentes ad me mane convenerant, litteras a me prius aperiri quam ad senatum deferri placeret, ne, si nihil esset inrentum, temere a me tantus tumultus iniectus civitati videretur, negavi me esse facturum, ut de periculo publico non ad consilium publicum rem integram deferrem. Etenim, Quirites, si ea, quae erant ad me delata, reperta non essent, tamen ego non arbitrabar in tantis rei publicae periculis esse mihi nimiam diligentiam pertimescendam. Senatum frequentem celeriter, ut vidistis, coegi.[7] Atque interea statim admonitu Allobrogum C. Sulpicium praetorem, fortem virum, misi, qui ex aedibus Cethegi, si quid o telorum esset, efferret; ex quibus ille maximum sicarum numerum et gladiatorum extulit. Introduxi Volturcium sine Gallis; fidem publicam iussu senatus dedi; hortatus sum, ut ea, quae sciret sine timore indicaret. Tum ille dixit, cum vix se ex magno timore recreasset, a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et litteras, ut servorum praesidio uteretur, ut ad urbem quam primum cum exercitu accederet; id autem eo consilio, ut, cum urbem ex omnibus partibus, quem ad modum discriptum distributumque erat, incendissent caedemque infinitam civium fecissent, praesto esset ille, qui et fugientis exciperet et se cum his urbanis ducibus coniungeret.[8] Introducti autem Galli ius iurandum sibi et litteras ab Lentulo, Cethego, Statilio ad suam gentem data esse dixerunt, atque ita sibi ab his et a L. Cassio esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent; pedestres sibi copias non defuturas. Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis haruspicumque responsis se esse tertium illum Cornelium, ad quem regnum

huius urbis atque imperium pervenire esset necesse; Cinna ante se et Sullam fuisse. Eundemque dixisse fatalem hunc annum esse ad interitum huius urbis atque imperii, qui esset annus decimus post virginum absolutionem, post Capitolii autem incensionem vice simus.[9] Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse dixerunt, quod Lentulo et aliis Saturnalibus caedem fieri atque urbem incendi placeret, Cethego nimium id longum videretur. Ac ne longum sit, Quirites, tabellas proferri iussimus, quae a quoque dicebantur datae. Primo ostendimus Cethego; signum cognovit. Nos linum incidimus, legimus. Erat scriptum ipsius manu Allobrogum senatui et populo sese, quae eorum legatis confirmasset, facturum esse; orare ut item illi facerent, quae sibi eorum legati recepissent. Tum Cethegus, qui paulo ante aliquid tamen de gladiis ac sicis, quae apud ipsum erant deprehensa, respondisset dixissetque se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse, recitatis litteris debilitatus atque abiectus conscientia repente conticuit. Introductus est Statilius; cognovit et signum et manum suam. Recitatae sunt tabellae in eandem fere sententiam; confessus est. Tum ostendi tabellas Lentulo et quaesivi, cognosceretne signum. Adnuit. 'Est vero', inquam, 'notum quidem signum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam et cives suos; quae quidem te a tanto scelere etiam muta revocare debuit.' [10] Leguntur eadem ratione ad senatum Allobrogum populumque litterae. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille primo quidem negavit; post autem aliquanto, toto iam indicio eito atque edito, surrexit; quaesivit a Gallis, quid sibi esset cum iis, quam ob rem domum suam venissent, itemque a Volturcio. Qui cum illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum quotiensque venissent, quaesissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis locutus, tum ille subito scelere demens, quanta conscientiae vis esset, ostendit. Nam, cum id posset infitiri, repente praeter opinionem omnium confessus est. Ita eum non modo ingenium illud et dicendi exercitatio, qua semper valuit, sed etiam propter vim sceleris manifesti atque deprehensi impudentia, qua superabat omnis, improbitasque defecit. [11] Volturcius vero subito litteras proferri atque aperiri iubet, quas sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atque ibi vehementissime perturbatus Lentulus tamen et signum et manum suam cognovit. Erant autem sine nomine, sed ita: 'Quis sim, scies ex eo, quem ad te misi. Cura, ut vir sis, et cogita, quem in locum sis progressus. Vide, ecquid tibi iam sit necesse, et cura, ut omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorum.' Gabinius deinde introductus cum primo impudenter respondere coepisset, ad extremum nihil ex iis, quae Galli insimulabant, negavit. [12] Ac mihi quidem, Quirites, cum illa certissima visa sunt argumenta atque indicia sceleris, tabellae, signa, manus, denique unius cuiusque confessio, tum multo certiora illa, color, oculi, voltus, taciturnitas. Sic enim ob stupuerant, sic terram intuebantur, sic furtim non numquam inter sese aspiciebant, ut non iam ab aliis indicari, sed indicare se ipsi viderentur.

C. Sallustii Crispi CATILINAE CONIVRATIO^s

XL. [1] Igitur P. Umbreno quoddam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat eosque, si possit, inpellat ad societatem belli, existumans publice privatimque aere alieno oppressos, praeterea quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. [2] Umbrenus quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatum notus erat atque eos noverat. itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percontatus pauca de statu civitatis et quasi dolens eius casum requirere coepit, quem exitum tantis malis sperarent. [3] postquam illos videt queri de avaritia magistratum, accusare senatum, quod in eo auxilio nihil esset, miseriis suis remedium mortem exspectare, «at ego» inquit «vobis, si modo viri esse vultis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis». [4] haec ubi dixit, Allobroges in maxumam spem adducti Umbrenum orare, ut sui miseretur: nihil tam asperum neque tam difficile esse, quod non cupidissime facturi essent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret. [5] ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat neque aliena consili propter Semproniam; nam tum Brutus ab Roma aberat. [6] praeterea Gabinium arcessit, quo maior auctoritas sermoni inesset. eo praesente coniurationem aperit, nominat socios, praeterea multos quousque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset. deinde eos pollicitos operam suam domum dimittit. **XLI** [1] Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consili caperent. [2] in altera parte erat aes alienum, studium belli, magna merces in spe victoriae; at in altera maiores opes, tuta consilia, pro incerta spe certa praemia. [3] haec illis volventibus tandem vicit fortuna rei publicae. [4] itaque Q. Fabio Sangae, quousque patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. [5] Cicero per Sangam consilio cognito legatis praecipit, ut studium coniurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur dentque operam, uti eos quam maxime manifestos habeant. **XLII** [1] Isdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. [2] namque illi, quos ante Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementia cuncta simul agebant. nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia plus timoris quam periculi effecerant. [3] ex eo numero compluris Q. Metellus Celer praetor ex senatus consulto causa cognita in vincula coniecerat, item in citeriore Gallia C. Murena, qui ei provinciae legatus praeerat.

Titī LIVII PATAVINI
AB VRBE CONDITA
liber XXIV

[37] ad hanc defectionem erecti sunt et aliarum ciuitatum animi praesidiaque Romana aut pellebantur arcibus aut prodita per fraudem opprimebantur. Henna, excelso loco ac praerupto undique sita, cum loco inexpugnabilis erat, tum praesidium in arce ualidum praefectumque praesidii haud sane opportunum insidiantibus habebat. L. Pinarius erat, uir acer et qui plus in eo ne posset decipi quam in fide Siculorum reponeret; et tum intenderant eum ad cauendi omnia curam tot auditaē proditiōnes defectionesque urbium et clades praesidiorum. itaque nocte dieque iuxta parata instructaque omnia custodiis ac uigiliis erant nec ab armis aut loco suo miles abscedebat. quod ubi Hennensium principes, iam pacti cum Himilcone de proditiōne praesidii, animaduēterunt, nulli occasione fraudis Romanum patere, palam erat agendum: urbem arcemque suae potestatis aiunt debere esse, si liberi in societatem, non serui in custodiam traditi essent Romanis. itaque clauēs portarum reddi sibi aequum censent: bonis sociis fidem suam maximum uinculum esse et ita sibi populum Romanum senatumque gratias habiturum, si uolentes ac non coacti mansissent in amicitia. ad ea Romanus se in praesidio impositum esse dicere ab imperatore suo clauēsque portarum et custodiam arcis ab eo accepisse, quae nec suo nec Hennensium arbitrio haberet sed eius qui commisisset. praesidio decedere apud Romanos capital esse et nece liberorum etiam suorum eam <noxiam> parentes sanxisse. consulem Marcellum haud procul esse; ad eum mitterent legatos cuius iuris atque arbitrii esset. se uero negare illi missuros testarique, si uerbis nihil agerent, uindictam aliquam libertatis suae quaesituros. tum Pinarius: at illi si ad consulem grauarentur mittere, sibi saltem darent populi concilium, ut sciretur utrum paucorum ea denuntiatio an uniuersae ciuitatis esset. consensa in posterum diem contio. [38] postquam ab eo conloquio in arcem sese recepit, conuocatis militibus ‘credo ego uos audisse, milites’ inquit, ‘quemadmodum praesidia Romana ab Siculis circumuenta et oppressa sint per hos dies. eam uos fraudem deum primo benignitate, dein uestra ipsi uirtute dies noctesque perstando ac peruigilando in armis uitastis. utinam reliquum tempus nec patiēdo infanda nec faciēdo traduci possit. haec occulta in fraude cautio est qua usi adhuc sumus; cui quoniam parum succedit, aperte ac propalam clauēs portarum reposcunt; quas simul tradiderimus, Carthaginiensium extemplo Henna erit foediusque hic trucidabimur quam Murgantiae praesidium interfectum est. noctem unam aegre ad consultandum sumpsī, qua uos certiores periculi instantis facerem. orta luce contionem habituri sunt ad criminandum me concitandumque in uos populum. itaque crastino die aut uestro aut Hennensium sanguine Henna inundabitur. nec praecoccupati spem ullam nec occupantes periculi

quicquam habebitis; qui prior strinxerit ferrum, eius uictoria erit. intenti ergo omnes armatique signum exspectabitis. ego in contione ero et tempus, quoad omnia instructa sint, loquendo altercandoque traham. cum toga signum dederō, tum mihi undique clamore sublato turbam inuadite ac sternite omnia ferro; et caute quisquam supersit cuius aut uis aut fraus timeri possit. uos, Ceres mater ac Proserpina, precor, ceteri superi infernique di, qui hanc urbem, hos sacros lacus lucosque colitis, ut ita nobis uolentes propitii adsitis, si uitandae, non inferendae fraudis causa hoc consilii capimus. pluribus uos, milites, hortarer, si cum armatis dimicatio futura esset; inermes, incautos ad satietatem trucidabitis; et consulis castra in propinquo sunt, ne quid ab Himilcone et Carthaginiensibus timeri possit.’

S. Aurelii Propertii
CARMINVM
liber IV, 6

sacra facit uates: sint ora fauentia sacris,
et cadat ante meos icta iuuenca focos.
serta Philiteis certet Romana corymbis,
et Cyrenaeas urna ministret aquas.
costum molle date et blandi mihi turis honores,
terque focum circa laneus orbis eat.
spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
tibia Mygdoniis libet eburna cadis.
ite procul fraudes, alio sint aere noxae:
pura nouum uati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referemus Apollinis aedem:
res est, Calliope, digna fauore tuo.
Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
dum canitur, quaeso, Iuppiter ipse uaces!
est Phoebi fugiens Athamana ad litora portus,
qua sinus Ioniae murmura condit aquae,
Actia Iuleae pelagus monumenta carinae,

nautarum uotis non operosa uia.
huc mundi coiere manus: stetit aequore moles
 pineae, nec remis aequa faebat auis.
altera classis erat Teucro damnata Quirino,
 pilaque feminea turpiter acta manu:
hinc Augusta ratis plenis Iouis omine uelis,
 signaque iam Patriae uincere docta suae.
tandem aciem geminos Nereus lunarat in arcus,
 armorum et radiis picta tremebat aqua,
cum Phoebus linquens stantem se uindice Delon
 (nam tulit iratos mobilis una Notos)
astitit Augusti puppim super, et noua flamma
 luxit in obliquam ter sinuata facem.
non ille attulerat crinis in colla solutos
 aut testudineae carmen inerme lyrae,
sed quali aspexit Pelopeum Agamemnona uultu,
 egessitque audis Dorica castra rogis,
aut qualis flexos soluit Pythona per orbis
 serpentem, imbelles quem timere lyrae.
mox ait “o Longa mundi seruator ab Alba,
 Auguste, Hectoreis cognite maior auis,
uince mari: iam terra tua est: tibi militat arcus
 et fauet ex umeris hoc onus omne meis.

solue metu patriam, quae nunc te uindice freta
imposuit prorae publica uota tuae.
quam nisi defendes, murorum Romulus augur
ire Palatinas non bene uidit auis.
et nimium remis audent prope: turpe Latinis
principe te fluctus regia uela pati.
nec te, quod classis centenis remiget alis,
terreat: inuito labitur illa mari:
quodque uehunt prorae Centaurica saxa minantis,
tigna caua et pictos experire metus.
frangit et attollit uires in milite causa;
quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.
tempus adest, committe ratis! ego temporis auctor
ducam laurigera Iulia rostra manu.”
dixerat, et pharetrae pondus consumit in arcus:
proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
uincit Roma fide Phoebi: dat femina poenas:
sceptra per Ionias fracta uehuntur aquas.
at pater Idalio miratur Caesar ab astro:
”sum deus; est nostri sanguinis ista fides.”
prosequitur cantu Triton, omnesque marinae
plausuerunt circa libera signa deae.
illa petit Nilum cumba male nixa fugaci,

hoc unum, iusso non moritura die.
di melius! quantus mulier foret una triumphus,
ductus erat per quas ante Iugurtha uias!
Actius hinc traxit Phoebus monumenta, quod eius
una decem uicit missa sagitta ratis.
bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo
uictor et ad placidos exuit arma choros.
candida nunc molli subeant conuiuia luco;
blanditiaeque fluant per mea colla rosae,
uinaque fundantur prelis elisa Falernis,
terque lauet nostras spica Cilissa comas.
ingenium positis irritet Musa poetis:
Bacche, soles Phoebo fertilis esse tuo.
ille paludosos memoret seruire Sycambros,
Cepheam hic Meroen fuscaque regna canat,
hic referat sero confessum foedere Parthum:
”reddat signa Remi, mox dabit ipse sua:
siue aliquid pharetris Augustus parcat Eois,
differat in pueros ista tropaea suos.
gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter harenas:
ire per Euphraten ad tua busta licet.”
sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
iniciat radios in mea uina dies!

P. Vergilii Maronis
AENEIDOS
liber VIII

nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
accipere ingentique urbem obsidione premebat;
Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.
illum indignanti similem similemque minanti
650
aspiceres, pontem auderet quia vellere Cocles
et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.
in summo custos Tarpeiae Manlius arcis
stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.
655
atque hic auratis volitans argenteus anser
porticibus Gallos in limine adesse canebat;
Galli per dumos aderant arcemque tenebant
defensi tenebris et dono noctis opacae.
aurea caesaries ollis atque aurea vestis,
660
virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
auro innectuntur, duo quisque Alpina coruscant
gaesa manu, scutis protecti corpora longis.
hic exsultantis Salios nudosque Lupercos
lanigerosque apices et lapsa ancilia caelo
665
extuderat, castae ducebant sacra per urbem
pilentis matres in mollibus. hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,

et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci
 pendentem scopulo Furiarumque ora trementem,
 670
 secretosque pios, his dantem iura Catonem.
 haec inter tumidi late maris ibat imago
 aurea, sed fluctu spumabant caerula cano,
 et circum argento clari delphines in orbem
 aequora verrebant caudis aestumque secabant.
 675
 in medio classis aeratas, Actia bella,
 cernere erat, totumque instructo Marte videres
 fervere Leucaten auroque effulgere fluctus.
 hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
 cum patribus populoque, penatibus et magnis dis,
 680
 stans celsa in puppi, geminas cui tempora flammis
 laeta vomunt patriumque aperitur vertice sidus.
 parte alia ventis et dis Agrippa secundis
 arduus agmen agens, cui, belli insigne superbum,
 tempora navali fulgent rostrata corona.
 685
 hinc ope barbarica variisque Antonius armis,
 victor ab Aurorae populis et litore rubro,
 Aegyptum virisque Orientis et ultima secum
 Bactra vehit, sequiturque (nefas) Aegyptia coniunx.
 una omnes ruere ac totum spumare reductis
 690
 convulsum remis rostrisque tridentibus aequor.
 alta petunt; pelago credas innare revulsas
 Cycladas aut montis concurrere montibus altos,
 tanta mole viri turritis puppibus instant.
 stuppea flamma manu telisque volatile ferrum
 695
 spargitur, arva nova Neptunia caede rubescunt.
 regina in mediis patrio vocat agmina sistro,
 necdum etiam geminos a tergo respicit anguis.
 omnigenumque deum monstra et latrator Anubis
 contra Neptunum et Venerem contraque Minervam
 700
 tela tenent. saevit medio in certamine Mavors
 caelatus ferro, tristesque ex aethere Dirae,
 et scissa gaudens vadit Discordia palla,
 quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
 Actius haec cernens arcum intendebat Apollo

705

desuper; omnis eo terrore Aegyptus et Indi,
omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.
ipsa videbatur ventis regina vocatis
vela dare et laxos iam iamque immittere funis.
illam inter caedes pallentem morte futura

710

fecerat ignipotens undis et Iapyge ferri,
contra autem magno maerentem corpore Nilum
pandentemque sinus et tota veste vocantem
caeruleum in gremium latebrosaue flumina victos.
at Caesar, triplici invectus Romana triumpho

715

moenia, dis Italis votum immortale sacrabat,
maxima ter centum totam delubra per urbem.
laetitia ludisque viae plausuque fremebant;
omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;
ante aras terram caesi stravere iuvenci.

720

ipse sedens niveo candentis limine Phoebi
dona recognoscit populorum aptatque superbis
postibus; incedunt victae longo ordine gentes,
quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.
hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,

725

hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos
finxerat; Euphrates ibat iam mollior undis,
extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,
indomitique Dahae, et pontem indignatus Araxes.

730

Talia per clipeum Volcani, dona parentis,

miratur rerumque ignarus imagine gaudet
attollens umero famamque et fata nepotum.

P. Vergilii Maronis
GEORGICON
liber I

pater ipse colendi
haud facilem esse viam voluit, primusque per artem
movit agros, curis acuens mortalia corda
nec torpere gravi passus sua regna veterno.

125

ante Iovem nulli subigebant arva coloni;
ne signare quidem aut partiri limite campum
fas erat: in medium quaerebant, ipsaque tellus
omnia liberius nullo poscente ferebat.
ille malum virus serpentibus addidit atris

130

praedarique lupos iussit pontumque moveri,
mellaque decussit foliis ignemque removit
et passim rivis currentia vina repressit,
ut varias usus meditando extunderet artis
paulatim et sulcis frumenti quaereret herbam,

135

ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.
tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;
navita tum stellis numeros et nomina fecit
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton;
tum laqueis captare feras et fallere visco

140

inventum et magnos canibus circumdare saltus;
atque alius latum funda iam verberat amnem
alta petens, pelagoque alius trahit umida lina;
tum ferri rigor atque argutae lammina serrae
- nam primi cuneis scindebant fissile lignum -

145

tum variae venere artes. labor omnia vicit
improbis et duris urgens in rebus egestas.
prima Ceres ferro mortalis vertere terram
instituit, cum iam glandes atque arbuta sacrae

deficerent silvae et victum Dodona negaret.

150

mox et frumentis labor additus, ut mala culmos
esset robigo, segnisque horreret in arvis
carduus: intereunt segetes, subit aspera silva
lappaeque tribolique, interque nitentia culta
infelix lolium et steriles dominantur avenae.

155

quod nisi et adsiduis herbam insectabere rastris,
et sonitu terrebis avis, et ruris opaci
falce premes umbras votisque vocaveris imbrem,
heu magnum alterius frustra spectabis acervum
concussaue famem in silvis solabere quercu.

T. Petronii Arbitri Satiricon liber

[LXI] Postquam ergo omnes bonam mentem bonamque valitudinem sibi optarunt, Trimalchio ad Nicerotem respexit et: “Solebas, inquit, suavius esse in convictu; nescio quid nunc taces nec muttis. Oro te, sic felicem me videas, narra illud quod tibi usu venit.” Niceros delectatus affabilitate amici: “Omne me, inquit, lucrum transeat, nisi iam dudum gaudimonio dissilio, quod te talem video. Itaque hilaria mera sint, etsi timeo istos scolasticos ne me rideant. Viderint: narrabo tamen, quid enim mihi aufert, qui ridet? satius est rideri quam derideri.”

Haec ubi dicta dedit talem fabulam exorsus est:

“Cum adhuc servirem, habitabamus in vico angusto; nunc Gavillae domus est. Ibi, quomodo dii volunt, amare coepi uxorem Terentii coponis: noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum bacciballum. Sed ego non mehercules corporaliter aut propter res venerias curavi, sed magis quod benemoria fuit. Si quid ab illa petii, nunquam mihi negatum; fecit assem, semissem habui; in illius sinum demandavi, nec unquam fefellitus sum. Huius contubernalis ad villam supremum diem obiit. Itaque per scutum per ocream egi aginavi, quemadmodum ad illam pervenirem: nam, ut aiunt, in angustiis amici apparent. [LXII] “Forte dominus Capuae exierat ad scruta scita expedienda. Nactus ego occasionem persuadeo hospitem nostrum, ut mecum ad quintum miliarium veniat. Erat autem miles, fortis tanquam Orcus. Apoculamus nos circa gallicinia; luna lucebat tanquam meridie. Venimus inter monimenta: homo meus coepit ad stelas facere; sedeo ego cantabundus et stelas numero. Deinde ut respexi ad comitem, ille exiit se et omnia vestimenta secundum viam posuit. Mihi anima in naso esse; stabam tanquam mortuus. At ille circumminxit vestimenta sua, et subito lupus factus est. Nolite me iocari putare; ut mentiar, nullius patrimonium tanti facio. Sed, quod coeperam dicere, postquam lupus factus est, ululare coepit et in silvas fugit. Ego primitus nesciebam ubi essem; deinde accessi, ut vestimenta eius tollerem: illa autem lapidea facta sunt. Qui mori timore nisi ego? Gladium tamen strinxi et <in tota via> umbras cecidi, donec ad villam amicae meae pervenirem. In larvam intravi, paene animam ebullivi, sudor mihi per bifurcum volabat, oculi mortui; vix unquam refectus sum. Melissa mea mirari coepit, quod tam sero ambulare, et: ‘Si ante, inquit, venisses, saltem nobis adiutasses; lupus enim villam intravit et omnia pecora tanquam lanius sanguinem illis misit. Nec tamen derisit, etiamsi fugit; senius enim noster lancea collum eius traiecit’. Haec ut audivi, operire oculos amplius non potui, sed luce clara Gai nostri domum fugi tanquam copo compilatus; et postquam veni in illum locum, in quo lapidea vestimenta erant facta, nihil inveni nisi sanguinem. Vt vero domum veni, iacebat miles meus in lecto tanquam bovis, et collum illius medicus curabat. Intellexi illum versipellem esse, nec postea cum illo panem gustare potui, non si me occidisses. Viderint quid de hoc alii exopinissent; ego si mentior, genios vestros iratos habeam.”

C. Cornelii Taciti

GERMANIA

sive de origine et situ Germanorum

[4] Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniae populos nullis aliis aliarum nationum conubiis infectos propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur. Unde habitus quoque corporum, tamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum valida: laboris atque operum non eadem patientia, minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inedia caelo solove adsueverunt.

[5] Terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida aut paludibus foeda, umidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam adspicit; satis ferax, frugiferarum arborum inpatiens, pecorum fecunda, sed plerumque improcera. Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis: numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitiine an irati di negaverint dubito. Nec tamen adfirmaverim nullam Germaniae venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud perinde adficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quae humo finguntur; quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae adgnoscent atque eligunt. Interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla adfectione animi, sed quia numerus argenteorum facilius usui est promiscua ac vilia mercantibus. [6] Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis aut maioribus lanceis utuntur: hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt angusto et brevi ferro, sed ita acri et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel comminus vel eminus pugnent. Et eques quidem scuto frameaque contentus est; pedites et missilia spargunt, pluraque singuli, atque in inensum vibrant, nudi aut sagulo leves. Nulla cultus iactatio; scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt. Paucis loricae, vix uni alterive cassis aut galea. Equi non forma, non velocitate conspicui. Sed nec variare gyros in morem nostrum docentur: in rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo posterior sit. In universum aestimanti plus penes peditem roboris; eoque mixti proeliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum,

quos ex omni iuventute delectos ante aciem locant. Definitur et numerus; centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vocantur, et quod primo numerus fuit, iam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis proeliis referunt. Scutum reliquisse praecipuum flagitium, nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas; multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

[7] Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita aut libera potestas, et duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione praesunt. Ceterum neque animadvertere neque vincere, ne verberare quidem nisi sacerdotibus permissum, non quasi in poenam nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. Effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt; quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates; et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad coniuges vulnera ferunt; nec illae numerare aut exigere plagas pavent, cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

< Memoriae proditur quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas constantia precum et obiectu pectorum et monstrata comminus captivitate, quam longe inpatientius feminarum suarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellae quoque nobiles imperantur. Inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur aut responsa neglegunt. Vidimus sub divo Vespasiano Veledam diu apud plerosque numinis loco habitam; sed et olim Albrunam et compluris alias venerati sunt, non adulatione nec tamquam facerent deas.

[45] Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope inmotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet; sonum insuper emergentis audiri formasque equorum et radios capitis adspici persuasio adicit. Illuc usque (et fama vera) tantum natura. Ergo iam dextro Suebici maris litore Aestiorum gentes adluuntur, quibus ritus habitusque Sueborum, lingua Britannicae propior. Matrem deum venerantur. Insigne superstitionis formas aprorum gestant: id pro armis omniumque tutela securum deae cultorem etiam inter hostis praestat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia laborant. Sed et mare scrutantur, ac soli omnium sucinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec quae natura, quaeve ratio gignat, ut barbaris, quaesitum compertumve; diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. Ipsi in nullo usu; rude legitur, informe profertur, pretiumque mirantes accipiunt. Sucum tamen arborum esse intellegas, quia terrena quaedam atque etiam volucris animalia

plerumque interlucent, quae implicata umore mox durescente materia cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque sicut Orientis secretis, ubi tura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur ac vi tempestatum in adversa litora exundant. Si naturam sucini admoto igni temptes, in modum taedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes uno differunt, quod femina dominatur; in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant.

[46] Hic Suebiae finis. Peucinorum Venedorumque et Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito, quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis ut Germani agunt. Sordes omnium ac torpor procerum; conubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur. Venedi multum ex moribus traxerunt; nam quidquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt et scuta gestant et pedum usu ac pernecitate gaudent: quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas: non arma, non equi, non penates; victui herba, vestitui pelles, cubile humus: solae in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit; passim enim comitantur partemque praedae petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt iuvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, inlaborare domibus, suas aliasque fortunas spe metuque versare: securi adversus homines, securi adversus deos rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. Cetera iam fabulosa: Hellusios et Oxionas ora hominum voltusque, corpora atque artus ferarum gerere: quod ego ut incomptum in medio relinquam.

L. Apuleii

METAMORPHOSEON

liber V

22. Tunc Psyche et corporis et animi alioquin infirma fati tamen saevitia subministrante viribus roboratur, et prolata lucerna et adrepta novacula sexum audacia mutatur.

Sed cum primum luminis oblatione tori secreta claruerunt, videt omnium ferarum mitissimam dulcissimamque bestiam, ipsum illum Cupidinem formosum deum formosae cubantem, cuius aspectu lucernae quoque lumen hilaratum increbruit et acuminis sacrilegi novaculam paenitebat. At vero Psyche tanto aspectu deterrita et impos animi marcido pallore defecta tremensque desedit in imos poplites et ferrum quaerit abscondere, sed in suo pectore; quod profecto fecisset, nisi ferrum timore tanti flagitii manibus temerariis delapsum evolasset. Iamque lassa, salute defecta, dum saepius divini vultus intuetur pulchritudinem, recreatur animi. Videt capitis aurei genialem caesariem ambrosia temulentam, cervices lacteas genasque purpureas pererrantes crinium globos decoriter impeditos, alios antependulos, alios retropendulos, quorum splendore nimio fulgurante iam et ipsum lumen lucernae vacillabat; per umeros volatilis dei pinnae roscidae micanti flore candicant et quamvis alis quiescentibus extimae plumulae tenellae ac delicatae tremule resultantes inquieta lasciviunt; ceterum corpus glabellum atque luculentum et quale peperisse Venerem non paeniteret. Ante lectuli pedes iacebat arcus et pharetra et sagittae, magni dei propitia tela.

23. Quae dum insatiabili animo Psyche, satis et curiosa, rimatur atque pertrectat et mariti sui miratur arma, depromit unam de pharetra sagittam et punctu pollicis extremam aciem periclitabunda trementis etiam nunc articuli nisu fortiore pupugit altius, ut per summam cutem roraverint parvulae sanguinis rosei guttae. Sic ignara Psyche sponte in Amoris incidit amorem. Tunc magis magisque cupidine fragrans Cupidinis prona in eum efflictim inhians patulis ac petulantibus saviis festinanter ingestis de somni mensura metuebat. Sed dum bono tanto percita saucia mente fluctuat, lucerna illa, sive perfidia pessima sive invidia noxia sive quod tale corpus contingere et quasi basiare et ipsa gestiebat, evomuit de summa luminis sui stillam ferventis olei super umerum dei dexterum. Hem audax et temeraria lucerna et amoris vile ministerium, ipsum ignis totius deum aduris, cum te scilicet amator aliquis, ut diutius cupitis etiam nocte potiretur, primus invenerit. Sic inustus exiluit deus visaque detectae fidei colluvie prorsus ex osculis et manibus infelicissimae coniugis tacitus avolavit.

Historia Apollonii regis Tyri

(1) In civitate Antiochia rex fuit quidam nomine Antiochus, a quo ipsa civitas nomen accepit Antiochia. Is habuit unam filiam, virginem speciosissimam, in qua nihil rerum natura exerraverat, nisi quod mortalem statuerat. Quae dum ad nubilem pervenisset aetatem et species et formositas cresceret, multi eam in matrimonium petebant et cum magna dotis pollicitatione currebant. Et cum pater deliberaret, cui potissimum filiam suam in matrimonium daret, cogente iniqua cupiditate flamma concupiscentiae incidit in amorem filiae suae et coepit eam aliter diligere quam patrem oportebat. Qui cum luctatur cum furore, pugnat cum dolore, vincitur amore; excidit illi pietas, oblitus est se esse patrem et induit coniugem.

Sed cum sui pectoris vulnus ferre non posset, quadam die prima luce vigilans inrumpit cubiculum filiae suae, famulos longe excedere iussit, quasi cum filia secretum conloquium habiturus, et stimulante furore libidinis diu repugnanti filiae suae nodum virginitatis eripuit, perfectoque scelere evasit cubiculum. Puella vero stans dum miratur scelesti patris impietatem, fluentem sanguinem coepit celare: sed guttae sanguinis in pavimento ceciderunt. (2) Subito nutrix eius introivit cubiculum. Ut vidit puellam flebili vultu, asperso pavimento sanguine, roseo rubore perfusam, ait: "Quid sibi vult iste turbatus animus?" Puella ait: "Cara nutrix, modo in hoc cubiculo duo nobilia perierunt nomina." Nutrix ignorans ait: "Domina, quare hoc dicis?" Puella ait: "Ante legitimam mearum nuptiarum diem saevo scelere violatam vides". Nutrix ut haec audivit atque vidit, exhorruit atque ait: "Quis tanta fretus audacia virginis reginae maculavit thorum?" Puella ait: "Impietas fecit scelus." Nutrix ait: "Cur ergo non indicas patri?" Puella ait: "Et ubi est pater?" Et ait: "Cara nutrix, si intellegis quod factum est: periit in me nomen patris. Itaque ne hoc scelus genitoris mei patefaciam, mortis remedium mihi placet. Horreo, ne haec macula gentibus innotescat."

Nutrix ut vidit puellam mortis remedium quaerere, vix eam blando sermonis conloquio revocat, ut a propositae mortis immanitate excederet, et invitam patris sui voluntati satisfacere cohortatur. (3) Qui cum simulata mente ostendebat se civibus suis pium genitorem, intra domesticos vero parietes maritum se filiae gloriabatur. Et ut semper impio toro frueretur, ad expellendos nuptiarum petitores quaestiones proponebat dicens: "Quicumque vestrum quaestionis meae propositae solutionem invenerit, accipiet filiam meam in matrimonium, qui autem non invenerit, decollabitur." Et si quis forte prudentia litterarum quaestionis solutionem invenisset, quasi nihil dixisset, decollabatur et caput eius super portae fastigium suspendebatur. Atqui plurimi undique reges, undique patriae principes propter incredibilem puellae speciem contempta morte properabant.(4) Et cum has

crudelitates rex Antiochus exerceret, quidam adulescens locuples valde, genere Tyrius, nomine Apollonius, navigans attingit Antiochiam, ingressusque ad regem ita eum salutavit: "Ave, domine rex Antioche!" Et ait: "Quod pater pius es, ad vota tua festinus perveni; regio genere ortus peto filiam tuam in matrimonium." Rex ut audivit quod audire nolebat, irato vultu respiciens iuvenem sic ait ad eum: "Iuvenis, nosti nuptiarum condicionem?" At ille ait: "Novi et ad portae fastigium vidi." Rex ait: "Audi ergo quaestionem: scelere vehor, maternam carnem vescor, quaero fratrem meum, meae matris virum, uxoris meae filium: non invenio." Iuvenis accepta quaestione paululum discessit a rege; quam cum sapienter scrutaretur, favente deo invenit quaestionis solutionem; ingressusque ad regem sic ait: "Domine rex, proposuisti mihi quaestionem; audi ergo solutionem. Quod dixisti 'scelere vehor', non es mentitus: te respice. Et quod dixisti 'maternam carnem vescor', nec et hoc mentitus es: filiam tuam intuere." (5) Rex ut vidit iuvenem quaestionis solutionem invenisse, sic ait ad eum: "Erras, iuvenis, nihil verum dicis. Decollari quidem mereberis, sed habes triginta dierum spatium: recogita tecum. Et dum reversus fueris et quaestionis meae propositae solutionem inveneris, accipies filiam meam in matrimonium." Iuvenis conturbatum habebat animum, paratamque habens navem ascendit, tendit ad patriam suam Tyrum. (6) Et post discessum adulescentis Antiochus rex vocat ad se dispensatorem suum fidelissimum nomine Taliarchum et dicit ei: "Taliarche, secretorum meorum fidelissime minister, scias quia Tyrius Apollonius invenit quaestionis meae solutionem. Ascende ergo navem confestim ad persequendum iuvenem, et dum veneris Tyrum in patriam eius, inquires inimicum eius, qui eum aut ferro aut veneno interimat. Postquam reversus fueris, libertatem accipies." Taliarchus vero hoc audito adsumens pecuniam simulque venenum, navem ascendens petiit patriam Apollonii. Pervenit innocens tamen Apollonius prior ad patriam suam et introivit domum et aperto scrinio codicum suorum inquisivit quaestiones omnium philosophorum omniumque Chaldaeorum. Et dum aliud non invenisset nisi quod cogitaverat, ad semet ipsum locutus est dicens: "Quid agis, Apolloni? Quaestionem regis solvisti, filiam eius non accepisti, sed ideo dilatus es, ut neceris."

Atque ita onerari praecepit naves frumento. Ipse quoque Apollonius cum paucis comitantibus fidelissimis servis navem occulte ascendit, deferens secum multum pondus auri atque argenti sed et vestem copiosissimam, et hora noctis silentissima tertia tradidit se alto pelago.

Aeneae Silvii [Piccolomini] Senensis HISTORIA DE DVOBVS AMANTIBVS

Linquens croceum Titoni Aurora cubile iam diem referebat optatum moxque suum rebus colorem Apollo reddens expectantem recreat Eurialum qui tunc se fortunatum beatumque censuit, cum admixtum se vilibus servis nulli noscendum vidit. Pergit igitur ingressusque Lucretie domum frumento se oneravit positoque in horreum tritico ultimus descendendum fuit atque, ut erat perdoctus, hostium maritalis thalami quod in medio scalarum clausum videbatur, impellit seque intro recepit et, reclusis foribus, solam Lucretiam serico intentam videt atque accedens propius: “Salve, mi anime,” inquit “salve, unicum vite presidium spesque mea. Nunc te solam offendi, nunc, quod semper optavi, semotis arbitris te amplector. Nullus iam paries, nulla distantia meis obstat osculis”. Lucretia, quamvis ordinem ipsa dedisset, primo congressu stupuit, nec Eurialum sed spiritum se videre putabat, ut que virum tantum ad ea pericula iturum sibi non suadebat. At, ubi inter amplexus et oscula suum cognovit Eurialum: “Tunc hic es,” inquit “paupercule? Tunc hic ades, Euriale?”. Et rubore per genas fuso, complexa est arctius hominem et media fronte dissaviata moxque repetens sermonem: “Heu quanto te” ait “discrimini subiecisti! Quid amplius dicam? Iam me tibi carissimam scio, iam tui amoris feci periculum. Sed neque tu me aliam invenies. Dii tantum fata secudent et amoris nostro prosperum ventum dent: dum spiritus hos reget artus, preter te nemo Lucretie potens erit, ne maritus quidem, si rite maritum appello qui mihi invite datus est et in quem nunquam animus consensit meus. Sed age, mea voluptas, meum delictum, abiicito saccum hunc teque mihi, ut es, ostende. Exue vectoris speciem, hos funes missos fac, Eurialum me videre concedito”. Iam ille, depositis sordibus, ostro fulgebat et auro et amoris in officium pronus ibat. Tum Sosias ante hostium pulsitans: “Cavete,” inquit “amantes: nescio quid rerum querens, Menelaus huc festinat, tegite furta vestra dolisque virum fallite, nihil est quod aggredi putetis”. Tum Lucretia: “Latibulum” inquit “parvum sub strato est, illic preciose res sunt. Scis quid tibi scripserim si te mecum existente vir adventaret: ingredi huc, tutus his tenebris eris neque te moveris neque screatum dederis”. Anceps quid agat, Eurialus mulieris imperium subit. Illa foribus patefactis ad sericum redit. Tum Menelaus et una Bertus assunt, cirographa nonnulla ad rem publicam pertinentia quesituri. Que postquam nullis inventa sunt scriniis: “In latibulo nostro” inquit Menelaus “forsitan erunt. I, Lucretia, lumenque affer huc, intus querendum est”. His exterritus Eurialus vocibus exsanguis fit iamque odisse Lucretiam incipit atque inter se: “Heu, me fatuum,” inquit “quis me huc

venire compulit nisi levitas mea? Nunc deprehensus sum, nunc infamis fio, nunc Caesaris gratiam perdo. Quid gratiam? Utinam mihi vita supersit! Quis me hinc vivum eripiet? Emori certum est. O me vanum et stultorum omnium stultissimum! In hanc sentinam volens cecidi.

Quid hec amoris gaudia, si tanti emuntur? Brevis illa voluptas est, dolores longissimi. O si nos hec pro regno celorum subiremus! Mira est hominum inscitia: labores breves nolumus pro longissimis tolerare gaudiis; amoris causa, cuius letitia fumo comparari potest, infinitis nos obiectamus angustiis. Ecce me ipsum: iam ego exemplum, iam fabula omnium ero, nec quis exitus pateat scio. Hinc si me deorum quispiam traxerit, nusquam me rursus amor illaqueabit. O deus, eripe me hinc, parce iuventuti mee! Noli meas metiri ignorantias, reserva me ut horum delictorum penitentiam agam. Non me amavit Lucretia, sed quasi cervum in casses voluit deprehendere. Ecce venit dies meus, nemo me adiuvare potest nisi tu, deus meus. Audieram ego sepe mulierum fallacias, nec declinare scivi. At, si nunc evasero, nulla me unquam mulieris techna deludet”.

Sed nec Lucretia minoribus urgebatur molestiis que non solum sue sed amantis quoque saluti timebat.

At, ut est in periculis subitaneis mulierum quam virorum promptius ingenium, e re nato remedio: “Age,” inquit “vir, cistella illic super fenestra est ubi te memini monimenta nonnulla recondidisse.

Videamus an illic cirographa sint reclusa”. Subitoque decurrens, tanquam vellet aperire cistellam, latenter illam deorsum impulit et, quasi casu cecidisset: “Proh, mi vir,” ait “adesto ne quid damni sentiamus. Cistella ex fenestra cecidit, perge otius, ne iocalia vel scripture dispereant. Ite, ite ambo. Quid stetis? Ego hinc, ne quis furtum faciat, oculis observabo”.

Viden audaciam mulieris. I nunc et feminis credito. Nemo tam oculatus est ut falli non possit. Is duntaxat illus non est quem coniunx fallere non temptavit. Plus fortuna quam ingenio sumus felices. Motus hoc facto Menelaus Bertusque una repente in viculum se precipitant. Domus, Hetrusco more, altior fuit multique gradus descendendi erant; hinc datum est Eurialo spatium mutandi locum qui ex monitu Lucretie in novas latebras se recepit. Illi collectis iocalibus atque scripturis, quia cirographa quibus opus erat non receperant, ad scrinia, iuxta que latuerat Eurialus, transeunt ibique voti compotes facti, consalutata Lucretia recesserunt. Illa obducto foribus pessulo: “Exi, mi Euriale, exi, mi anime,” inquit “veni gaudiorum summa meorum, veni foras, delectationum mearum scaturigo, letitie favum mellis, veni, dulcedo incomparabilis mea. Iam tuta sunt omnia, iam nostris sermonibus liber campus patet, iam locus est amplexibus tutus. Adversari osculis nostris fortuna voluit, sed aspiciunt dii nostrum amorem, nec tam fidos amantes deserere voluerunt. Veni iam meas in ulnas, nihil est quod amplius vereare, meum lilium rosarumque cumulus. Quid stas, quid times? Tua hic sum Lucretia. Quid cunctaris Lucretiam amplexari?”.

Erasmi Roterodami
EPISTVLAE
epist. 288,
all'Abate Antonio di Bergen.

Erasmus Roterodamus Clarissimo D. ac Reverendo in Christo Patri D.
Antonio a Bergis Abbati Sancti Bertini sd

[...]

Quaeso te, cogita: per quos (bellum) geritur ? Per homicidas, per incestos, per aleatores, per stupratores, per sordidissimos conductitios milites, quibus lucellum carius est vita ! Hi in bello sunt optimi, cum quod ante suo faciebant periculo, hic mercede faciant et cum laude. Haec hominum colluvies in agros, in urbes recipienda, ut bellum geras. Denique his serviendum, dum alium ulcisci volumus !

Adde nunc quot facinora belli praetextu committantur, dum inter arma silent leges bonae ! Quot rapinae, quot sacrilegia, quot raptus, quot alia dedecora quae pudet etiam nominare ! Haec pestis morum in multos annos duret necesse est, etiam extincto bello. Expende mihi nunc sumptus, ut etiam si vincas, multo tamen plus sit damni quam lucri. Quanquam quo tandem regno possis tot milium vitam ac sanguinem aestimare ? Atque maxima malorum pars ad eos redit ad quos nihil pertinet bellum; pacis commoda ad omnes proveniunt; in bello plerumque flet etiam qui vicit. Tantum malorum agmen secum trahit ut non sine causa poetae finxerint BELLUM ab inferis per FURIAS immitti; ne iam commemorem expilationem populi, ducum collusionem, rerum commutationes, quae numquam sine summo incommodo novari solent !

Quod si gloriae cupiditas nos trahit ad bellum, non est gloria, quae affectatur praesertim ex malefactis. Et multo gloriosius est civitates condere quam evertere, si quid libet gloriosum designare.

Nunc plebs extruit et excolit urbes, stultitia Principum evertit.

Sin lucro ducimur, nullum bellum tam feliciter cessit quin plus attulerit mali quam boni, et nemo bello nocet hosti quin prius multis malis afficiat suos. Postremo, cum videamus res humanas in morem euripi sursum ac deorsum mutari miscerique, quorsum attinet tanto rerum molimine apparare

imperium, mox qualibet occasione ad alios devolvendum ? Quanto sanguine paratum est Romanum Imperium, et quam mox coepit concidere !

Erasmi Roterodami COLLOQVIA

Diversoria [1523]

BERTVLPHVS, GVLIELMVS

- Be. Cur ita visum est plerisque, biduum aut triduum commorari Lugduni? Ego semel iter ingressus non conquiesco, donec pervenero, quo constitui.
- Gu. Imo ego admiror, quenquam illinc avelli posse.
- Be. Quam ob rem tandem?
- Gu. Quia illic locus est, unde non poterant avelli socii Ulyssis, illic Sirenes. Nemo domi suae tractatur melius, quam illic in pandocheo.
- Be. Quid fit?
- Gu. Ad mensam semper adstabat aliqua mulier, quae convivium exhilararet facetiis ac leporibus. Et est illic mira formarum felicitas. Primum adibat materfamilias, quae salutabat, iubens nos hilares esse, et, quod apponeretur, boni consulere. Huic succedebat filia, mulier elegans, moribus ac linguis adeo festivis, ut possit vel ipsum Catonem exhilarare. Nec confabulantur ut cum hospitibus ignoti, sed veluti cum olim notis ac familiaribus.
- Be. Agnosco Gallicae gentis humanitate.
- Gu. Quoniam autem illae non poterant adesse perpetuo, quod essent obeunda munia domestica, reliquique convivae consalutandi, continenter adstabat puellula quaedam ad omnes iocos instructa: una satis erat omnium iaculis excipiendis: haec sustinebat fabulam, donec rediret filia. Nam mater erat natu grandior.
- Be. Sed qualis erat tandem apparatus? Nam fabulis non expletur venter.
- Gu. Profecto lautus, ut ego mirer, illos tam vili posse accipere hospites. Rursus peracto convivio, lepidis fabulis alunt hominem, ne quid obrepat taedii. Mihi videbar domi esse, non peregre.

- Be. Quid in cubiculis?
- Gu. Illic nusquam non aderant aliquot puellae, ridentes lascivientes lusitantes: ultro rogabant, si quid haberemus vestium sordidarum: eas lavabant, ac lotas reddebant. Quid multis? Nihil illic vidimus praeter puellas ac mulieres, nisi in stabulo: quanquam et huc frequenter irrumpebant puellae. Abeuntes complectuntur, tantoque affectu dimittunt, ac si fratres essent omnes, aut propinquae cognationis.
- Be. Fortassis isti mores decent Gallos; mihi magis arrident Germanicae mores, utpote masculi.
- Gu. Mihi nunquam contigit videre germanicam: quare te quaeso, ne gravere commemorare, quibus modis accipiant hospitem.
- Be. An ubique sit eadem tractandi ratio, nescio: quod ego vidi narrabo. Advenientem nemo salutat ne videatur ambire hospitem. Id enim sordidum et abiectum existimant, et indignum Germanica severitate. Ubi diu inclamaveris, tandem aliquis per fenestellam aestuarii (nam in his degunt fere usque ad solstitium aestivum) profert caput, non aliter quam e testa prospicit testudo. Is rogandus est, an liceat illic diversari. Si non renuit, intelligis dari locum. Rogantibus ubi sit stabulum, mota manu commonstrat. Illic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admovet. Si celebrius est diversorium, ibi famulus commonstrat stabulum, atque etiam locum equo minime commodum. Nam commodiora servat venturis, praesertim nobilibus. Si quid causseris, statim audis: Si non placet, quaere aliud diversorium. Foenum in urbibus aegre ac perparce praebent, nec multo minoris vendunt, quam ipsam avenam. Ubi consultum est equo, totus commigras in hypocaustum, cum ocreis, sarcinis, luto; id est unum omnibus commune.
- Gu. Apud Gallos designant cubacula, ubi sese exuant, extergant, calfaciant, aut quiescant etiam, si libeat.
- Be. Heic nihil tale. In hypocausto exuis ocreas; indui calceos; mutas, si voles, indusium; vestes pluvia madidas suspendis iuxta hypocaustum; ipse te admoves, ut sicceris. Est et aqua parata, si libeat lavare manus, sed ita munda plerumque, ut tibi post alia quaerenda sit aqua, qua lotionem eam abluas.
- Gu. Laudo viros nullis deliciis effoeminatos.
- Be. Quod si tu appuleris ad horam a meridie quartam, non coenabis tamen ante nonam, nonnunquam et decimam.
- Gu. Quam ob rem?
- Be. Nihil apparant, nisi videant omnes, ut eadem opera ministretur omnibus.
- Gu. Quaerunt compendium.

- Be. Tenes. Itaque frequenter in idem hypocaustum conveniunt octoginta aut nonaginta, pedites, equites, negociatores, nautae, aurigae, agricolae, pueri, foeminae, sani, aegroti.
- Gu. Isthuc vere coenobium est.
- Be. Alius ibi pectit caput, alius abstergit sudorem, alius repurgat perones, aut ocreas, alius eructat allium. Quid multis? Ibi linguarum ac personarum non minor est confusio, quam olim in turri Babel. Quod si quem conspexerint peregrinae gentis, qui cultu dignitatis nonnihil prae se ferat, in hunc intenti sunt omnes defixis oculis, contemplantes, quasi novum aliquod animantis genus adductum sit ex Africa; adeo ut postea quam accubuerint, reflexo in tergum vultu, continenter aspiciant, nec dimoveant oculos, cibi immemores.
- Gu. Romae, Lutetiae ac Venetiae nemo quidquam miratur.
- Be. Nefas est interim tibi quidquam petere. Ubi iam multa est vespera, nec sperantur plures adventuri, prodit famulus senex, barba cana, tonso capite, vultu torvo, sordido vestitu.
- Gu. Tales oportebat Cardinalibus Romanis esse a poculis.
- Be. Is circumactis oculis tacitus dinumerat, quot sint in hypocausto: quo plures adesse videt, hoc vehementius accenditur hypocaustum, etiamsi alioqui sol aestu sit molestus. Haec apud illos praecipua pars est bonae tractationis, si sudore diffluant omnes. Si quis non assuetus vaporibus, aperiat rimam fenestrae, ne praefocetur, protinus audit: Claude. Si respondeas: Non fero, audis: Quaere igitur aliud diversorium.
- Gu. Atqui mihi nihil videtur esse periculosius, quam tam multos haurire eundem vaporem, maxime resoluti corpore, atque heic capere cibum, et horas complures commorari. Iam enim omitto ructus alliatos, et ventris flatum, halitus putres: multi sunt, qui morbis occultis laborant, nec ullus morbus non habet suum contagium. Certe plerique scabiem habent Hispanicam, sive, ut quidam vocant, Gallicam, cum sit omnium nationum communis. Ab his, opinor, non multo minus esse periculi, quam a leprosis. Iam tu divina, quantum discriminis sit in pestilentia.
- Be. Sunt viri fortes, ista rident ac negligunt.
- Gu. Sed interim multorum periculo fortes sunt.
- Be. Quid facies? Sic assueverunt: et constantis est animi, non discedere ab instituto.
- Gu. Atqui ante annos viginti quinque nihil receptius erat apud Brabantos, quam thermae publicae: eae nunc frigent ubique. Scabies enim nova docuit nos abstinere.
- Be. Sed audi caetera. Post redit ille barbatus Ganymedes ac linteis insternit mensas, quot putat esse satis illi numero. Sed o Deum immortalem, quam non Milesiis! Cannabea diceres ex antennis detracta. Destinavit enim unicuique mensae convivas, ut minimum

octo. Iam quibus est notus mos patrius, accumbunt, ubi cuique libitum fuerit. Nullum enim discrimen inter pauperem et divitem, inter herum ac famulum.

Gu. Haec est illa vetus aequalitas, quam nunc e vita submovit tyrannis. Sic opinor vixisse Christum cum suis discipulis.

Be. Postquam accubuerunt omnes, rursus prodit torvus ille Gaymedes, ac denuo dinumerat sua sodalitia: mox reversus apponit singulis pinacium ligneum et cochleare ex eodem argento factum, deinde cyathum vitreum: aliquanto post, panem: eum sibi quisque per otium repurgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam sedetur ferme horae spatio.

Gu. Nullus hospitem interim efflagitat cibum?

Be. Nullus, cui notum sit regionis ingenium. Tandem apponitur vinum, Deus bone, quam non famosum! Non aliud oportebat bibere Sophistas; tanta est subtilitas et acrimonia. Quod si quis hospes, etiam oblata privatim pecunia, roget ut aliunde paretur aliud vini genus, primum dissimulant, sed eo vultu, quasi interfecturi: si urgeas, respondent: Heic diversati sunt tot Comites et Marchiones, neque quisquam questus est de vino meo: si non placet, quaere tibi aliud diversorium. Solos enim nobiles suae gentis habent pro hominibus, et horum insignia nusquam non ostentant. Iam igitur habent offam, quam obiiciant latranti stomacho: mox magna pompa veniunt disci. Primus ferme habet offas panis madefactas iure carnum, aut, si dies est pisculentus, iure leguminum. Deinde aliud ius, post aliquid carnum recoctarum, aut salsamentorum. Rursus pultis aliquid, mox aliquid solidioris cibi, donec probe domito stomacho apponant carnes assas aut pisces elixos, quos non possis omnino contemnere: sed heic parci sunt, et subito tollunt. Hoc pacto totum convivium temperant, quemadmodum solent actores fabularum, qui scenis admiscent choros; ita istis alternis miscent offas ac pultes. Curant autem, ut extremus actus sit optimus.

Gu. Et hoc est boni Poëtae.

Be. Porro piaculum sit, si quis interim dicat: Tolle hunc discum; nemo vescitur. Desidendum est usque ad praescriptum spatium, quod illi clepsydris, ut opinor, metiuntur. Tandem prodit ille barbatus, aut pandocheus ipse, vestitu minimum a famulis differens: rogat, ecquid animi nobis sit. Mox adfertur vinum aliquod generosius. Amant autem eos, qui bibunt largius, cum nihilo plus solvat ille, qui plurimum hauserint vini, quam qui minimum.

Gu. Mirum gentis ingenium.

Be. Cum nonnunquam sint, qui duplo plus absumant in vino, quam solvant pro convivio. Sed antequam finiam hoc convivium, dictu mirum, quis sit ibi strepitus ac vocum tumultus, postquam omnes coeperunt incalescere potu. Quid multis? Surda omnia. Admiscent se

frequenter ficti moriones, quo genere hominum cum nullum sit magis detestandum, tamen vix credas, quantopere delectentur Germani: illi cantu, garritu, clamore, saltatione, pulsu faciunt, ut hypocaustum videatur corruiturum, neque quisquam alterum audiat loquentem. At interea videntur sibi suaviter vivere: atque illic desidendum est volenti nolenti usque ad multam noctem.

Gu. Nunc tandem absolve convivium. Nam me quoque taedet tam prolixum.

Be. Faciam. Tandem sublato caseo, qui vix illis placet nisi putris ac vermibus scatens, prodit ille barbatus, adferens secum pinacium escarium, in quo creta pinxit aliquot circulos ac semicirculos: id deponit in mensa, tacitus interim ac tristis; Charontem quempiam diceret. Qui agnoscunt picturam deponunt pecuniam, deinde alius, atque alius, donec expleatur pinacium. Deinde notatis qui deposuerunt, supputat tacitus: si nihil desit, annuit capite.

Gu. Quid si supersit?

Be. Fortasse redderet, et faciunt hoc nonnunquam.

Gu. Nemo reclamat iniquae rationi?

Be. Nemo qui sapit. Nam protinus audiret: Quid tu es hominis? Nihilo plus solves quam alii.

Gu. Liberum hominum genus narras.

Be. Quod si quis ex itinere lassus, cupiat mox a coena petere lectum, iubetur exspectare, donec caeteri quoque eant cubitum.

Gu. Videor mihi videre civitatem Platoniam.

Be. Tum suus cuique nidus ostenditur, et vere nihil aliud quam cubiculum: tantum enim ibi lecti sunt, et praeterea nihil quo utaris, aut quod fureris.

Gu. Illic mundities est?

Be. Eadem quae in convivio: linthea forte lota ante menses sex.

Gu. Quid interim sit de equis?

Be. Ad eandem disciplinam tractantur, ad quem homines.

Gu. Sed est eadem ubique tractatio?

Be. Alicubi civilior est, alicubi durior quam narravi: verum in genere talis est.

Gu. Quid si ego tibi nunc narrem, quibus modis hospites tractentur in ea parte Italiae quam Longobardiam vocant; rursus in Hispania; deinde in Anglia, et in Walia? Nam Angli partim Gallicos, partim Germanicos mores obtinent, ut ex his duabus gentibus mixti. Wali se praedicant a ÛtÒc qonaj Anglos.

Be. Quaeso te, ut narres. Nam mihi nunquam contigit eas adire.

Gu. In praesentia non est otium. Nam nauta iussit, adessem ad horam tertiam, nisi vellem relinqui; et habet sarcinulam: alias dabitur opportunitas ad satietatem usque garriendi.

Francisci Creuxii (François du Creux SJ) HISTORIAE CANADENSIS SEV NOVÆ FRANCIÆ LIBRI X

[pp. 534-537]

Sed qua fuit eorum vel constantia vel obstinatio,
praestolari constituunt dum diluxisset,
causam mali forte deprehensuri.
At deprehendere quidem licuit, non item afferre remedium !
Ergo sub auroram,
pro se quisque certatim ad necessarium opus conversi,
lombos demittunt in pelagus, et si quid commeatus raptim possunt,
instanti naufragio suffurantur.
Sed cum id esset provisum tardius, valde pauca auferre licuit.

Erant in navi septem omnino et quadraginta, seu vectores seu navicularii.
Ii, qua licuit, in lombos confestim immigravere,
hoc saltem solacio, quod, cum tranquillissimum aequor esset,
nihil neque formidinis neque periculi crearunt fluctus.

Sed alia omnia tristia plane erant.
Navigiolum potius quam navis: altum mare undique;
centum enim leucas ipsas minimum
quacumque se verterent distabant terrae !
Cibatus autem tam admodum nihil, ut ii de quibus agimus, potissimum,
nam e lombis tribus
unus post diem nonum aliis sese consulto subduxit,
vitandae penuriae tam acciso commeatu,
de altero illud tantum proditum reperio,
invectum paene simul cum eo de quo memoramus praecipue,
dies ipsos quatuordecim tolerasse dicuntur NULLO CIBO.

Utque intelligere possit quivis quam parvo natura contenta sit,
si contenta tamen dici potuit in ista tanta destitutione.

Nihil aliud gustasse toto eo intervallo perhibentur
nisi guttulas aliquot liquoris illius de quo dictum tam saepe,
qui, si unquam, AQUA VITAE vel AQUA VITALIS,
tum quidem certe dici potuit. Vitam enim sic traxerunt ut
summum bacillum tantum in eum liquorem intingerent identidem,
quem lingebant deinde per otium,
ad eumque nihil adhibuere quidquam
praeter aquam salsam ex ipso aequore.

Quae cum misera prorsus essent, neque tenere possent diu,
deliberationem ineunt sane parum humanam
(an etiam cum christiani officii ratione pugnantes ?
non est huius loci definire)
Vocant, inquam, in deliberatione numnam
UNUM ALIQUEM E TOTA TURMA sorte delectum interimere praestaret
PABULO SUBMINISTRANDO ALIIS, quam OMNES AD UNUM
INTERIRE ?

Cum placuisset, reluctantem tamen sensu illo humanitatis
quem imis in penetralibus Auctor naturae abdidit,
distulere quantum se posse impune putaverunt.

Et unus aliquis ex vectoribus, obesior,
(utique dignus cuius nomen proditum fuisset,
adeo in natalium humilitate ingentes animos prae se tulit)
obtulit sese ultro multoties,
nihil esse dictitans cur ad sortes recurreretur:
nullum enim unum toto in lembo esse
AD ALIORUM FAMEM SOLANDAM APTIOREM !

Sed cum id ipsum miserationem aliis omnibus commoveret,
ad potiora conversi, votum nuncupant se, siquidem salvi evasissent,
ubi primum Galliam attigissent,
recta Salmurium (oppidum est in Gallia, Andegavensis dioeceseos),
ad Beatae Virginis templum celebre perrecturos,
agendis gratiis, itemque ad Sanctae Annae apud Nannetes.

Interea fatiscebant misere,
exsucca cadavera potius quam homines spirantes crederes!
Ita sibi quisque consulturi omnibus in commune,
ad eandem deliberationem revertuntur, reque ipsa sorte explorant,
quis sua morte vitam ceterorum omnium redimat.
Et, tanquam ex composito res ageretur,
SORS IN EUM QUEM DIXIMUS CECIDIT !

Ille nihil animo turbatus
“An non praemonueram? -inquit- nihil erat quod sortiremini !
sic mihi ipse persuaseram, sic inculcaveram vobis,
id a Deo constitutum esse!”

Verum refugere denuo Galli ab anthropophagorum epulis,
et dum se resque suas Domino Deo commendant taciti,
neque sustinent barbaram carnificinam exercere,
ecce tibi adest, ab Optimo Parente utique submissa,
testudo ingentis magnitudinis, quales vulgo marinae,
cumque paene ad lembi marginem nando volitaret,
corripitur perfacile a famelicis.

Eam ita partiti sunt ut primo sanguinem suxerint,
mox ad carnes conversi, iisdem diebus aliquot usi sunt at crudis
(ut quidem gallicus scriptor suspicatur,
neque enim verosimile est- inquit-
in ista tanta festinatione igniarium sumere potuisse).

Tandem cum oculos identidem conicerent in illum quem sors addixerat,
nec repugnantem quin manderetur, unus e naviculariis,
cum ad summa carchesia aegre adrepsisset,
“NAVEM, inclamat, NAVEM VIDERE SE:
eo vertendos remos quam fieri posset concite”.

Et periculo virium nonnihil suggerente,
ad cospectam navem cito perveniunt.
ANGLICA illa erat, ANGLI vectores, atque adeo navarchus ipse.
Is, tametsi haud inhumanus, metuens tamen ne,
si tam multos in navem acciperet,
non parum sibi ipsi accerseret incommodi,
detrectare primo causarique sibi annonam esse perexiguam.
Verum cum ad miserorum infimas preces provolutorum in genua
accederet quoque ANGLICARUM mulierum ad viros hortatio,
accepti tandem in navem sunt idoneisque fomentis recreati.

Ut ab experientibus habebantur,
ita initio tantum cibi et potionis adhibitum est
quantum viscerum longa inedia contractorum ratio ferebat,
et stomachi plus aequo appetentis.
Quae cautio, ubi dies aliquot tenuerat,
tum denique exempti periculo, sibi quisque gratulari,
multo magis benignissimo Deo gratias agere,

cuius vigilantissimam Providentiam tam desperato loco essent experti.

Post expositi in MATERIA Insula,
durius ab indigenis habiti sunt, perinde atque piratae solent,
nam in piratarum numero ponebantur.
Donec re, ut erat exposita, a Patribus Societatis Iesu primum,
mox et ab iis ipsis qui suspendium initio minitabantur,
instructi sunt commeatu in iter necessario in aliamque navem impositi.

Sed nondum periculorum nedum aerumnarum finis !
Dum securi Olyssiponem versus navigant, ecce tibi TURCAS piratas
insequentes a tergo vident quanta maxima contentione poterant.

Dum horas ipsas octo refugere summa in trepidatione coacti,
praesentissimam denuo in se opem Caelitum prope miraculo comprobarunt;
nam cum hostilis myoparo celerius inferretur quam celox in qua erant,
iam paene infesti hostes christiani nominis assecuti consternatos erant,
atque adeo iam tormenta maiora duo in celocem eandem disploserant,
cum religiosus sacerdos e sancti Francisci familia,
qui cum aliis pergebat indidem ex Materia Insula Olyssiponem,
pulvisculi aliquid ex Sanctorum quorundam ossibus in mare iecisset,
continuo consistere Turcicus myoparo tanquam ad syrtes adherescens,
celox prope per tranquilla aequora volare.

Ita cum laeti omnes OLYSSIPONEM tenuissent,
Galli naufragi egregie concepti voti memores,
postquam in tertiam navem impositi, RUPELLAM denique pervenerunt,
nihil habuere antiquius quam ut statim,
nemine suorum salutato, nedum domos ingressi suas,
religiosissime pergerent SALMURIUM primum, mox NANNETES,
illic Augustae Deiparae,
hic Sanctae Deiparae parenti conceptum votum rite exoluturi.

illic Augustae Deiparae,
hic Sanctae Deiparae parenti conceptum votum rite exoluturi.

Joannis Petri Maffei SJ DE REBUS JAPONICIS EPISTVLARVM LIBRI V

[Coloniae 1574, pp. 447 ss.]

GASPAR in febrim inciderat: ego non optima sum usus valetudine.
Tamen concursu ad nos christianorum facto,
dominica Pentecostes, imbecillitatem nostram Domino fulciente,
per occasionem tam amplae consequendae indulgentiae,
multos verbo Dei et sacratissimo Christi Corpore pavimus...

Iamque parabat VILELA totam hanc Meacensem obire provinciam,
et prout se obtulisset occasio per amicorum pagos et oppida
circumferre Evangelium, cum coeptis intervenit
ATROCISSIMUM ET POST HOMINUM MEMORIAM INAUDITUM
FACINUS,
quod non modo conatus nostros omnino impediret,
sed etiam nos ipsos in extremum vitae discrimen adduceret.

Nam Regulus Imorensium (de quo scripsi ad vos antea) MIOXINDONUS,
devictis a se gentibus quibusdam, potentiaque et opibus auctus,
ipsum quoque CUBUCAMAM (sic Imperii Principem nominant)
ut in pace otioque securum et imparatum a rebus omnibus,
certe nihil eiusmodi metuentem,
imperio, quod magna cum aequitate regebat,
per summum scelus atque perfidiam deturbare
AC TYRANNIDEM OCCUPARE CONSTITUIT.
Neque apud inflammatum dominandi libidine animum
vel Cubucamae virtus et probitas
vel plurima eaque maxima ab eodem in se profecta beneficia valere.
Igitur assumptis latrocinii sociis duobus,
Narensium Tyranno DATONDONO et alio quodam Dynasta,
cum delectis armatorum duodecim millibus,
repente MEACUM iter intendit,
eo certiore spe rei perficiendae,

quod et ipsi CUBUCAMAE nomine universae rei bellicae praeerat,
et primos habebat in urbe Meaco clientes atque satellites.

Copiis ergo prope urbem iussis opportuno loco subsistere,
ipse cum fidelium manu MEACUM ac REGEM specie officii ingreditur,
nimirum ut
quibusdam recentibus honoris insignibus a CUBUCAMA decoratus,
ei gratias ageret.
Atque, ut quod volebat quam maxime sine tumultu transigeret,
ad alia verborum officia illud etiam addit,
ut Cubucamam in suburbanum quoddam Bonziorum coenobium
blandis precibus ad caenam invitet.
Namque ibi circumventum adoriri placuerat.

Sed cum res parum procederet,
quod Cubucama de considente prope Meacum exercitu
factus denique certior et suspicatus id quod erat,
non modo se MIOXINDONO minime crederet, sed etiam fugam pararet
(ex qua deinde imprudenti comitum suorum consilio revocatus est),
MIOXINDONUS aperte ratus agendum,
copias omnes ad regiam propius admovet:
ac ne inexplabili in suum Imperatorem ac regem odio
accensus esse videretur,
dum inops consilii Cubucama cum familiaribus trepidat,
praemittit ad regiam qui palam denuntiet se
CUBUCAMAE ipsius caput minime petere,
certis tantum eius cognatis amicisque graviter infensum,
eorum potentiam ultra ferre non posse.
Itaque tum demum rem conventuram seque inde cum pace abiturum,
si complures proceres, quos nominatim in schedula descripserat,
quam primum interfici iubeat.

Ad haec tam insignis impudentiae postulata,
ira maxima percitus is qui ad ea cognoscenda
Cubucamae iussu prodierat (grandis natu aulicus ille ipse
qui nos ad Cubucamam introducere consueverat),
abiecta quam legerat schedula,
verbisque gravissimis in parricidas invectus, ad extremum addit,
rebus iam desperatis, quoniam quidem alia ratione non possit,
certe voluntaria morte sese officio fideique suae satis esse facturum.
His dictis regressus in regiam, coram ipso CUBUCAMA strictum
pugionem,
gentis more, sibi condit in viscera et moribundus occumbit.
Eodem ipso letho quattuor alii,

cum prae timore oclulis ianuis non admitterentur,
mox in ipso regiae periere vestibulo.

Senis vero demortui filius, ut patrem conspexit exanimem,
praeceps dolore atque iracundia, fertur in coniuratos infestus,
pugnansque perimitur: tum illi pluribus locis
palatio flammam iniciunt. Quod, ut sensit CUBUCAMA,
certus proelio potius quam incendio mortem oppetere,
ex honestissimae gravissimaeque feminae matris amplexu se proripit
vaditque cum suis armatus in confertam hostium aciem:
ibi quam acerrime dimicans,
ventrem hastili, caput sagitta confixus,
duobus praeterea vulneribus acceptis in facie, concidit.

Super eum proeliantes egregie,
centum circiter aulici primae nobilitatis viri sternuntur;
quorum cum animi magnitudo ac fidelitas omnium
tum praesertim adolescentuli cuiusdam
quartumdecimum annum agentis enituit.
Qui cum in certamine hostes paene obstupefecisset audaciae miraculo,
eumque vivum, sublato undique clamore, conarentur excipere,
ille CUBUCAMAM defunctum intuitus,
sibique turpissimum ratus Regi suo Dominoque esse superstitem,
ense confestim abiecto, pugionem arripuit
abscissoque sibimet gutture eundem pugionem adegit in viscera.

Inter haec hostes qua per incendia patuit aditus,
in regiam frequentes irrumpunt.
Fratrem CUBUCAMAE, Bonzium, una cum matre,
nequaquam vel huius adolescentiam vel illius senectutem miserati,
acerbissime contrucidant.
Regia gaza diripitur: cuncta ferro flammaque miscentur.

Honorariae puellae ac pedissequae,
regulorum fere ac principum filiae et clarissimis ortae familiis,
omnia miserabiliter eiulatu gemitibusque complentes,
inter obsessos armatis exitus conantur sibi fuga consulere.
Quarum aliquae vestimentis etiam in illa ipsa immanitate
petulanter atque procaciter a militibus exuuntur:
aliae vero ad viginti, dum ancipiti metu distractae,
hinc micantes horrent gladios, inde saeviente perterrentur incendio,
in conclave quoddam abditae quo nondum flamma pervaserat,
igne deinde grassante, opinione celerius,
ibidem oppressae atque ad unam omnes absumptae sunt.

Porro CUBUCAMAE ipsius filiae duae,
ad pedes hostium prostratae suppliciter,
Christiani cuiusdam beneficio
in aedes propinquas amicorum incolumes evasere.

At mater ipsarum, REGINA, inter ancillarum greges
tum quidem elapsa feliciter, in quoddam sese coenobium recepit,
passibus mille circiter et quingentis ab urbe disiunctum;
sed paulo post a conquisitoribus deprehensa,
ubi sese DAIONDONI et MIOXINDONI iussu morti destinatum esse
cognovit,
chartam atque atramentum poposcit
scripsitque sua manu multis verbis ad filiam litteras...
Deinde, obsignata epistola,
cum Bonziis apud quos delituerat gratias egisset,
ad aram AMIDAE perrexit:
ibi, manibus sublatis in caelum, obtinendae indulgentiae causa,
AMIDAM bis invocatur nominatim, et simul coenobiarcha
absolutionis indicium manus capiti supplicantis imponit.
Inde regressa in cubiculum,
elatis manibus, AMIDAM rursus appellans, a sicariis iugulata est.

Iamvero qui CUBUCAMAE in extremo certamine affuerant,
eorum aedes direptae, suburbana aedificia solo aequata,
corpora simul cum ipso palatio concremata sunt.
CUBUCAMAE tantum cadaver, hostium permissu,
a Bonziis ad rogum et sepulturam elatum est
in coenobium quod ille ad eam ipsam rem ingenti sumptu construxerat.

Primarius autem quidam e CUBUCAMAE familiaribus
peregre proficiscens, cum rem gestam in itinere cognovisset,
Meacum rediit illico, atque,
ubi deletam regiam et omnia versa vidit in cineres,
sepulturae locum recta petiit, ibique, dissecto sibimet ventre,
super CUBUCAMAE tumulum corruit.
Sorores CUBUCAMAE duae sunt Bonziae; quas, quamvis inclusas
coenobio,
nihilominus aiunt peti conviciis atque ludibriis hostium:
atque ob id ipsum a sodalibus perpetuo custodiri,
vigiliis distributis, ne sibimet necem ex desperatione consciscant.

Nos interea,
civitate ad acerbum adeo spectaculum ingenti pavore perculsa,

cum domum nostram neophyti confugissent,
ad preces ac litanias conversi videlicet,
mortem exspectabamus in singula paene momenta.
Nec sane, quod Bonziorum in nos odium est,
quaeque eorumdem apud MIOXINDONUM atque DAIONDONUM gratia
et auctoritas,
non multum ab extremo periculo abfuimus.
Sed cum ad nos clam venisset pro amicitia scriba MIOXINDONI,
pectus feriens et impietatem domini sui gravissime detestans et increpans,
multis deinceps nuntiis atque interpretibus ultro citroque missis,
magno vix tandem labore impetratum est,
sacra iam veste coeteroque instrumento in pacata loca praemisso,
ut exsulatum nobis abire liceret.
Itaque Gaspar IMORIM ad christianum profectus est,
ego parva sum relegatus in insulam nomine Cangam...

Joannis Petri Maffei SJ DE REBVS JAPONICIS EPISTVLARVM LIBRI V

Armis vero apprime dedita gens est
Ea sunt, praeter ferream fistulam arcumque et sagittas,
gladius incurvus et pugio,
(queis ab duodecimo aetatis anno sese praecingunt)
tam egregia chalybis temperatura
uti ferrum nostrum acie propemodum illaesa diffindat.
Accedit pilum auro argentove bracteatum, falce praefixum:
“nanguinatam” appellant.
Hastis etiam egregie utuntur,
quae nostras et levitate et longitudine superant.

Amictus ab infantia ad iuventutem sumunt varios,
idque cum coerimoniis et solemni apparatu.
Ceterum, qui adulti iam sunt,
talarem gestant versicolorem tunicam.
Hanc domi demittunt,
prodituri autem in caligas infundunt, ad imum aequaliter laxas;
easque circa renes levi subligant nodo.

Tunicae amiculum superinduunt breviorum (chimonem vocant)
manicis non ultra cubitos eminentibus.
Hasce vestes
per aetatem gerunt simplices ac subtilissimo textu:
per hiemem scilicet densiores ac duplices,
inserto item serico tomento;
easque, ne incommode tumeant, perquam artificiose perpungunt.

Calceis crepidisve,
sine obstragulo, sandaliorum instar, utuntur
corneo ad extremum exstante hemyciclo,
quem firmitatis causa
primum inter et secundum inserunt digitos.

Flabella gerunt,
tum ad velandam faciem, tum ad auram colligendam,
auro sericoque intertexta.
Sub umbella ferme procures, alioquin, aperto capite,
in sole pariter ac pluvia uterque sexus incedit.

E coloribus festum habent nigrum atque puniceum:
albus in luctu est.
Ac plurimis quoque aliis in rebus credi vix potest
quantopere a nostro victus eorum et cultus abhorreat.
In olfactu suffitus nostros minime ferunt;
alia ipsi quaedam odoramenta succendunt.
In gustu nostras illi epulas,
nos vicissim illorum condimenta aspernamur.
Aquam nos gelidam,
illi calefactam aestate pariter et hieme potant.

Martini Dobrizhoffer SJ

HISTORIA DE ABIPONIBVS

Liber I

[pp. 304-305]

Multi de “zorrino” scripserunt, sed ex aliena relatione plerique. Ego mea, eheu, experientia ! Illi ex AUDITU; ego ex OLFACTU! Pudet pigetque tristem tragoediae meae memoriam refricare. Ingenuum me esse planius ut intellegas, lector, scribam tamen. Dum ex porto Boniaeris, ubi appulimus, cum quinquaginta aliquot sociis per inmensam planitiem 140 leucarum iter Cordubam Tucumanorum usque faceremus... Duobus cum sociis Hispanis ambulans vulpeculam gradu placido imminentem prospexi eminus.

“Heus vos, exclamo, quam elegans hoc, quam venustum animalculum !”

Colori nimium credidimus ! Quanta sub eleganti pelli pestis lateret...nemo nostrum perspexit.

Ad capiendam bestiam incitato gressu certatim procurrimus; iratisque mihi superis omnibus, cursu Hispanos praeverti !

Versipellis enim vulpecula, propinquum me sibi conspicata, deditionem meditantis specie, substitit et veluti captivam sese mihi ultro offerebat !

Blandimentis ignotae mihi ferae diffidens, illam arundineo baculo lenissime contingo. Nec mora: levato confestim crure, stygiam in me exonerat pestem !

Maxillam sinistram liberaliter permingit undique, cursuque citatissimo fugam victrix capit:

(quod oculis pepercerit meis, id in beneficiis numerandum).

Veluti Iovis ignibus ictus obstupui, mihi ipsi repente intolerabilis. Foetor enim taeterrimus ex maxilla cospersa in omnes corporis sinus vestesque intimas, ac in ipsum adeo baculum diffudit sese. Is momento per campum longe lateque propagatus, quid mihi acciderit sociis meis nuntiavit. Omnes partim equites, partim pedites, sonantissimos inter cachinnos ad spectandum me festinabant. Verum me eminus olfacto, celeritate maiori quam venerant longissime recesserunt. Ceu pontificio ictus anathemate vitabar ab omnibus, ipso etiam tentorio sub quo mihi cum reliquis coenandum fuerat, interdictus !!!

Dein... faciem iterum iterumque ac tertio ablui, refricui, tersi. Sed enim totum id “Aethiopem lavare” fuit !

Vestes quas abieceram omnes omnino, etsi in plaustris tecto ultra mensem ventis, imbribus, pulveribus, soli quotidie expositae foetoris tenaces usque nulli porro erant usui...

Martini Dobrizhoffer SJ
HISTORIA DE ABIPONIBVS
Liber II

[pp. 74-75]

Quantum disciplina acuat ingenium Indorum, ad quanta illorum se extendat captus, oculis videre tuis si cupias Quaraniorum tibi adeunda sunt oppida. In horum singulis deprehendes Indos in musicorum instrumentorum et fabricatione et tractatione dexterrimos; pictores, sculptores, arcularios, cuiuscumque metalli fabros, textores, architectos, scribas eximios; alios qui horologia, campanas, fimbrias aureas, et quid non ? ad omnis artis regulam norunt construere. Quin fuere non pauci qui libros, maioris etiam molis, non patria solum sed et latina lingua typis excuderunt, quos (characterum scilicet notas) ipsi quoque ex aere fuderant !

Norunt et calamo libros tanta arte describere ut typographi operam esse iurent vel oculatissimi Europaei. Indorum artificia qui Quaraniorum in oppidis seu videre seu audire, obstupuerunt (Episcopi, scilicet, Gubernatores, ceteri quicumque hospites). Si hae artes in aliis passim oppidis ac Americae provinciis ignorantur, id non Indorum stupiditati, sed magistrorum a quibus erudirentur penuriae tribuendum. Quaraniis missionarii nostri, Itali, Belgae, Germani, iam musices iam ceterarum artium magistri obtigerunt, Indos supra expectationem dociliores non experti modo, sed incredibiliter saepe admirati.